

## TRACTATUS II.

DE DEO UNO.

**I**n Deo, prout est unus, considerari possunt, 1. existentia; 2. essentia; 3. attributa generatim; 4. attributa speciatim.

## DISSERTATIO I.

De existentia Dei.

Quaeres 1. **A**n detur in nobis idea de Deo innata, seu ingenua?

*Resp. Affirm.* Quia saepe cogitamus de ente quod est a se, et est causa aliorum entium; unde Deum naturaliter confitemur, cum clamamus, *O Deus*, et, *Deus videt*, et, *Deo commendo*, &c. ut ait D. Cyprianus, *lib. de idolorum vanitatibus*; ergo est in nobis idea Dei: atqui illa idea non est *factitia*, mens enim nullam ex sese potest cudere imaginem entis infiniti, cum et ipsa, et omnia quae videt, sint finita; nec est *adventitia*, id est, ex rebus sensibilibus efformata, quia universitas rerum sensibilium est, quid maxime finitum, ex quibus proinde non potest erui idea entis infiniti; ergo restat ut idea, quam habemus de Deo, sit innata.

*Objicies:* Plures fuerunt Athei; ergo non habemus de Deo ideam innatam.

*Resp. Dist. ant.* Fuerunt Athei, *practice* seu cordis, *conc.* Athei, *speculative*, seu mentis, *nego*. Atheus *practice* dicitur, is, qui libidine excaecatus, ita perditur vivit, ac si non esset Deus, quem vellet non esse, mul-

tos esse tales confitemur. Atheus *speculative* dicitur is qui omnem divinitatis sensum deponit, tales autem fuisse ac esse, prorsus negamus.

*Inst.* Dei existentia demonstratur; ergo non habemus de eo ideam innatam.

*Resp. Nego conseq.* Multiplici enim via cognosci potest existentia Dei, et per ideam ab ipsa origine menti impressam, et per multiplicem e creaturis petitam demonstrationem.

Quaeres 2. *Utrum haec propositio*, Deus est, *sit per se nota quoad se?*

*Resp. Affirm.* Quia propos. per se nota quoad se, est ea cujus praedicatum est de essentia subjecti: atqui in hac propos. *Deus est*, praedicatum, nempe, existentia, est de essentia subjecti, nempe Dei; ergo &c.

Quaeres 3. *Utrum propos.* Deus est, *sit per se nota quoad nos?*

*Resp. Affirm.* Nam propositio *per se nota quoad nos*, est ea cujus veritas nobis attendentibus innotescit statim atque intelligimus terminos quibus constat; atqui termini hujus propositionis, *Deus est*, non possunt perfecte intelligi, quin simul intelligatur praedicatum, nempe existentiam, subjecto, nempe Deo, essentialiter convenire, et hoc sine ullo medio a priori: nam per hanc vocem, *Deus*, intelligitur ens perfectissimum, quo nihil melius, aut esse, aut cogitari potest, ac proinde ens quod habet realem existentiam, quae est omnium perfectiorum prima; si enim eam non haberet, aliud eo perfectius cogitari posset, ens nimirum cui realis existentia conveniret.

*Objicies:* Haec propositio, *Deus est*, potest demonstrari; ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Potest demonstrari a posteriori, *conc.* a priori, *nego ant.* Equidem propositio per se nota quoad nos, non potest demonstrari a priori; sed potest fieri quod illius subjectum habeat aliquos effectus,



per quos illius existentia possit a posteriori demonstrari.

Quaeres 4. *Utrum existentia Dei possit demonstrari a priori?*

*Resp.* Non potest; quia demonstratio a priori est ea quae fit per causas rei quae demonstratur: atqui Deus nullam habet suae existentiae causam, cum sit *ens a se*; ergo, &c.

Quaeres 5. *Utrum existentia Dei possit demonstrari a posteriori?*

*Resp. Affirm.* Quia potest demonstrari per effectus, creaturas nimirum; siquidem creaturae sunt effectus Dei a quo necessario pendent *in esse, in conservari, et in gubernari*, ergo, &c. unde demonstrativum est hoc argumentum: *Creaturae existunt: ergo Deus existit*

*Objicies 1.* Existentia Dei est objectum fidei supernaturalis, *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, Hebr. 12. Ergo non potest demonstrari.

*Prob. conseq.* Scientia et fides non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto; ergo objectum fidei non potest demonstrari.

*Resp. Dist. ant.* Non possunt esse, &c. per idem motivum, *conc.* per diversa motiva, *nego.* Nam Dei existentia creditur propter summam Dei revelantis veracitatem: et evidenter cognoscitur propter necessariam connexionem quae concipitur inter creaturas existentes et earum creatorem, quae duo motiva sunt valde distincta.

*Objicies 2.* Medium demonstrationis debet esse necessarium; atqui creaturae non sunt necessariae; ergo, &c.

*Resp. Dist. maj.* Debet esse necessarium hypothetice, et quoad necessariam connexionem cum re demonstrata, *conc.* absolute et quoad existentiam, *nego maj.* Porro ex hypothesis quod creaturae existant, necessariam habent cum Deo, a quo dependent, connexionem; ergo dependentia earum non est contingens, sed necessaria.

*Inst.* Omnis demonstratio fit ex prioribus; atqui creaturae non sunt Deo priores; ergo, &c.

*Resp.* Non sunt Deo priores existentia, *conc.* cognitione, *nego min.* Hoc autem requiritur et sufficit ad veram demonstrationem.

*Objicies 3.* Per creaturas non potest demonstrari essentia Dei; ergo nec illius existentia, cum qua est unum et idem.

*Resp. Dist. ant.* Non potest demonstrari, quid et qualis sit, *conc.* quod sit, seu existat, *nego ant.* sic licet demonstrari non possit in quo posita sit essentia Solis, recte ex effectibus Solis demonstratur illius existentia.

Quaeres 6. *Quibus argumentis potest demonstrari existentia Dei?*

*Resp.* Inter varia, quae a Theologis afferuntur, quatuor refero.

1. *Petitur ex ente necessario et contingenti*, quod sic proponitur: necesse est ut in rerum natura existat aliquid ens necessarium, alias omnia entia essent contingentia, quae nimirum potuissent existere, aut non existere, quod est absurdum: nam si quaecumque existunt, potuerint existere, aut non existere, posset supponi ea de facto non existere; atqui supponi non potest ea non existere, tunc enim essent possibilia, et non essent possibilia, essent possibilia, quia omne contingens est possibile; non essent possibilia, quia nullum ens necessarium existeret a quo illa producerentur; ergo necesse est, ut sit ens omnino necessarium.

*Objicies 1.* Materia hujus universi est necessaria; ergo ex ente necessario non potest demonstrari existentia Dei.

*Resp. nego. ant.* Nam ens necessarium, habet ex necessitate suae naturae, quod sit infinitum in omni genere perfectionis; atqui materia non est talis. 1. Quia est iners et otiosa. 2. Quia est mutabilis tum quoad exi-



stentiam, alias esset a se, tum quoad existendi modum, cum sit infinitarum modificationum susceptiva; ergo.

*Objicies 2.* Licet singula entia sint contingentia, tota nihilominus eorum collectio est necessaria; ergo, &c.

*Resp. Nego ant.* Nam ens necessarium, quod probamus, debet esse infinite perfectum, et consequenter simplicissimum; atqui supradicta collectio non est simplicissima; a suis enim partibus componentibus pendet ut sit, quod est maxima imperfectio; ergo.

*II. Petitur ex necessitate primae causae effectricis, et primi moventis immobilis,* quod sic proponitur: necesse est, ut, in rerum natura, existat ens aliquod improductum, et primum movens immobile; nam si omnia entia producta fuissent ac mota, saltem unum ex illis seipsum produxisset, ac movisset, quod est absurdum; nam si seipsum produxisset, fuisset seipso prius et posterius: causa enim est prior suo effectui, et effectus sua causa posterior. Si seipsum movisset, sive ad esse, sive ad locum, fuisset secundum idem simul in potentia et in actu: in potentia quidem, quatenus potuisset recipere motum, in actu autem, quia seipsum movisset, quae omnia sunt contradictoria; ergo datur prima causa improducta, aliarum effectrix: et primum movens, omnino immobile, a quo moveantur caetera quae moventur. Atqui illa prima causa, illud primum movens, est Deus, ergo datur Deus.

*Objicies 1.* Materia est improducta et aeterna; ergo non potest probari existentia primae causae.

*Resp. Nego ant.* Quod non solum repugnat fidei, sed etiam rationi, quae dicat ens aeternum et improductum esse infinitum, cum a nulla causa limitari poterit; atqui materia est finita, loco circumscripta, et maxime iners et otiosa; ergo.

*Objicies 2.* Dantur entia quae nullum habitura sint finem; ergo et entia quae nullum habuerint initium.

*Resp. Nego conseq.* Disparitas est, quod ens, non ha-

bens suae existentiae initium, sit a se, et plane independentens, quod repugnat creaturae; sed ens quod non habiturum est finem semper pendet a suo conditore, qui sicut illud ex nihilo libere creavit, ita illud in nihilum potest redigere.

*III. Petitur ex mirabili mundi hujus fabrica:* sicque proponitur: opus in quo reperitur totius naturae ordo ita sapiens, ut nullus sapientior; ita pulcher, ut nullus pulchrior; ita constans, ut nullus constantior inveniri queat, a suprema quadam mente et intelligentia sapientissima prodiit, regitur et ordinatur: atqui talis est tota mundi hujus machina; ergo a suprema quadam intelligentia prodiit, &c. Atqui illa intelligentia est Deus; ergo, &c.

*Objicies:* Universum hoc regitur a sola natura, quo uno cursu et ordine semper eadem agit; v. g. nox semper eodem cursu succedit diei, aestas veri, &c. homines semper eodem modo nascuntur et moriuntur, &c. ergo non datur illius intelligens moderator.

*Resp. Nego ant.* Nam quod illa ita regulariter sibi succedant, hoc habent ab ipso Deo auctore naturae, cui placuit ipsi naturae regulas permanentes statuere, a quibus seipsa non potest recedere. Porro, *hic ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret*, ait Minutius Felix in Octavio.

*IV. Petitur ex communi hominum sensu,* sicque proponitur: quod omnes homines unanimi, et constanti consensu existere fatentur, illud certissime existit, ait Cicero; atqui populi, quotquot unquam extiterunt, omnes unanimi consensu Deum existere fatentur: nam *Persa, Gothus, Aegyptius, Turca ipsum agnoscunt. . . et totius mundi una vox est, Deus est*, ait D. Hieron. Epist. ad Nepotian.

*Quaeres 7. Utrum Deus possit invincibiliter ignorari?*

*Resp.* Non potest; nam illius existentia a nemine rationis compote potest invincibiliter ignorari, cujus idea



nobis est ingenita, cujus existentia invictissimis argumentis demonstrari potest; atqui, &c. Praeterea ignorantia excusat a peccato; atqui ignorantes Deum dicuntur *inexcusabiles*, Rom. 1. ac gravissime puniuntur, *Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt*, Psalm. 78.

*Objicies.* Ignorantia Dei non potest superari nisi per discursum ex creaturarum scilicet existentia colligendo existentiam creatoris; atqui multi sunt barbari ita agrestes, ut non sint hujusmodi discursus capaces: ergo.

*Resp. 1. Nego maj.* Quippe omnibus innata est Dei idea, ita ut ad illius cognitionem, sola attentione ad conscientiae testimonium opus sit.

*Resp. 2. Nego min.* Nemo enim est ita stupidus, qui ex creaturis non eruat cognitionem saltem probabilem, quod in hoc universo sit supremus aliquis gubernator cui sit parendum, qualiscumque tandem ille sit: hoc enim ipso, tenetur inquirere quis ille sit, et qua ratione colendus.

*Inst.* Puer in sylvis educatus, postquam usum rationis adeptus est, indiget aliquo temporis intervallo, ut ex idea sibi indita, et ex creaturis concludat existentiam Dei; ergo illo saltem brevi tempore potest Deum invincibiliter ignorare.

*Resp. Nego ant.* Quia tam clarum est de Deo conscientiae testimonium, tam evidens est creaturarum cum creatore connexio, ut si ad ea, ut par est, attenderit, ne momento quidem esse queat sine cognitione Dei, si non statim demonstrativa, saltem probabili, et moraliter certa.

*Quaeres 8. Utrum sit unicus Deus?*

*Resp.* Est unus tantum, ut declaratur, Marci 12. *Unus est Deus, et non est alius praeter eum.* Ratio est, quia Deus est ens summe magnum; atqui non possunt esse duo entia summe magna, nam esse *summe magnum*, ex Tertull. est parem non habere; at parem non habere

ita uni competit, ut nullo modo possit duobus competere: ergo &c.

*Objicies 1.* Psalm. 81 dixit Deus: *Ego dixi, dii estis*, ergo sunt plures dii.

*Resp.* Sunt plures dii improprie et participative, non proprie et natura. Psalmista enim loquitur de Judicibus, quos vocat deos propter auctoritatem judicandi populum quam a Deo participant.

*Objicies 2.* Sunt duo prima rerum principia, unum bonum boni; aliud malum mali; ergo sunt duo dii.

*Resp. Nego ant.* Nam effectus diversi et oppositi non arguunt diversitatem causae primae, quae cum sit infinitae virtutis, quoslibet effectus producere potest, sive similes, sive dissimiles, sive etiam contrarios. Malum ergo culpae non potest esse a Deo, quia non est effectus, sed defectus, sed malum poenae, est a Deo; qui illud in ultionem criminum infligit. Porro sic considerata, rationem boni induit.

*Objic. 3.* Sunt tres in Deo personae; ergo et tres dii.

*Resp. Nego conseq.* Quia ad deorum multipliciter, satis non est multiplicitas personarum, sed praeterea requiritur naturae in pluribus personis multiplicatio: at tres personae in Deo habent eandem numero naturam, ergo, &c.

## DISSERTATIO II.

### De natura, seu essentia Dei.

*Quaeres 1.* **Q**uid intelligitur per Dei essentiam?

*Resp.* Intelligitur aliqua Dei perfectio, quae concipitur tanquam gradus constitutivus essentiae divinae, seu tanquam differentia essentialis naturae divinae.



Quaeres 2. *Quot in gradu constitutivo alicujus essentiae requiruntur conditiones?*

*Resp.* Quatuor. 1. Ut sit quid *proprium* illi soli rei quam constituit, et a qualibet alia distinguit... 2. Ut sit quid *primum* in ipsa re, nec ab alio praesupposito derivatum... 3. Ut sit *fons et radix* aliarum proprietatum, quae in illa re reperiuntur... 4. Ut sit quid *adaequatum rei*, ita ut totum id complectatur, quod est de conceptu rei quidditativo.

Quaeres 3. *Quot sunt Theologorum circa Dei essentiam sententiae?*

*Resp.* Quatuor. 1. Est *Thomistarum*, quorum alii pro gradu constitutivo essentiae divinae assignant intellectionem radicalem, seu facultatem intelligendi; alii communius intellectionem actualem... 2. Est *Nominalium*, quibus placet, essentiam divinam constitui per collectionem omnium perfectionum in Deo... 3. Est *Scotistarum*, qui eandem collocant in infinitate radicali... 4. Est aliorum omnium, qui docent essentiam Dei in aseitate, seu in omnimoda ab alio independentia, collocandam esse.

Quaeres 4. *Utrum essentia Dei posita sit in intellectione radicali, aut actuali?*

*Resp.* In neutra posita est. 1. Etenim neutra est *prima* perfectio in Deo, nam utraque supponit naturam a qua fluunt, cum concipiantur per modum operationis, et operatio supponat esse... 2. Neutra est radix aliarum Dei perfectionum: quae enim consequentia? *Deus est intelligens; ergo est infinitus, immutabilis, &c.*... 3. Neutra est conceptus Dei adaequatus: nec enim voluntatem, nec volitionem complectitur, quae tamen Deo aequae essentialis est, ac ipsa intellectio.

*Objicies:* Intellectio actualis est gradus in Deo perfectissimus; ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Est gradus perfectissimus, in genere facultatis, aut actus naturam ipsam constitutam

supponentis, *conced.* in genere naturae, *nego ant.* Nam neque est prima, neque adaequata perfectio, neque radix est aliarum Dei perfectionum.

Quaeres 5. *Utrum essentia Dei posita sit in cumulo omnium perfectionum?*

*Resp. Negat.* Quia ille cumulus, non est specialis perfectio; nec est *prima*, cum complectatur omnes perfectiones, nec est radix caeterarum, cum ultra illum cumulum, non sit alia; ergo, &c.

*Objicies:* Cumulus omnium perfectionum, quacumque speciali perfectione perfectior est, ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Est perfectior quacumque speciali perfectione, quae non continet implicite alias omnes perfectiones, *conc.* quae alias omnes implicite continet, *nego ant.* talis est autem *aseitas*, nam *ens a se* nullos perfectionis limites habere potest.

Quaeres 6. *Utrum infinitas radicalis, sit formale constitutum essentiae divinae?*

*Resp. Negat.* Quia non est perfectio, quae nobis de Deo cogitantibus *prima* occurrit, fluit enim ab aseitate: nam si quaeratur, *quare Deus sit infinitus?* seu, *quare nullos in perfectione terminos agnoscat?* recte respondetur, *quia est a se;* ergo, &c.

*Objicies:* Infinitas radicalis, est fons et radix omnium Dei attributorum; ideo enim est immensus, omnipotens, &c. quia est infinitus; ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Est fons et radix mediata, et secundaria, *conc.* primaria, *nego ant.* infinitas enim fluit immediate ab aseitate.

Quaeres 7. *Utrum gradus constitutivus essentiae divinae, sit aseitas?*

*Resp. Affirm.* Nam 1. Deus ipse suam essentiam per aseitatem expressit; quaerenti nimirum Moysi *quis esset?* Deus ipse respondit: *Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos.*... 2. Aseitas est divinitati maxime *propria*, per eam enim differt, tum a



creaturis, quæ sunt essentialiter ab alio tanquam a causa: tum ab attributis divinis, quæ sunt ab essentia tanquam a radice; tum a personis divinis, quæ sunt ab alio tanquam a principio. . . . 3. Est *prima* perfectio, quæ, nobis de Deo cogitantibus, occurrit. . . . 4. Est *fons, et radix* caeterarum Dei perfectionum, nam qui est a se, a nullo limitari potest. . . . 5. Est adæquata Deo, quia continet formaliter, aut virtualiter omnia quæ dicuntur quidditative de Dei natura; ergo, &c.

*Objicies:* Gradus constitutivus essentiae divinæ non potest esse negatio: atqui aseitas est pura negatio dependentiæ ab alio; ergo.

*Resp. Dist. min.* Est negatio ratione nominis, conc. ratione rei per nomen significatæ, *nego min.* nam aseitas in se et a parte rei, importat positivam plenitudinem omnis esse.

*Inst.* Aseitas est communis omnibus Dei attributis; ergo non est specialis perfectio.

*Resp. Nego ant.* Intellectum de aseitate, quatenus dicit omnimodam ab alio independentiam, aliae enim perfectiones fluunt ab ipsa aseitate tanquam a radice.

### DISSERTATIO III.

#### De Attributis divinis generatim.

Quæres 1. **Q**uid sit attributum divinum?

*Resp.* Est, quælibet Dei perfectio, quæ ab essentia divina, tanquam a radice, virtualiter profluere concipitur, et de Deo per modum proprietatis prædicatur. Alia sunt positiva quæ de Deo aliquam perfectionem affirmant; ut justitia, bonitas, &c. Alia negativa, quæ a Deo aliquam imperfectionem remouent, ut infinitas,

incomprehensibilitas, &c. Alia *absoluta*, quæ tribus personis sunt communia; alia *relativa*, quæ uni, vel duabus tantum personis sunt propria, ut paternitas, filiatio, &c.

Quæres 2. *Quotuplex est distinctio?*

*Resp.* Duplex. Realis nimirum, et rationis. . . . *Realis*, est negatio identitatis in ipsa re. . . . *distinctio rationis*, est negatio identitatis in conceptu, seu, est diversitas conceptuum ejusdem rei.

Quæres 3. *Quotuplex est distinctio realis?*

*Resp.* Triplex. Nempe, *realis major*, quæ reperitur inter duas res separabiles, v. g. inter corpus et animam. *Realis minor*, quæ reperitur inter rem et modum ejus, v. g. inter digitum et inflexionem digiti. *Et formalis ex natura rei*, quæ, reperitur, non quidem inter duas res, sed inter rem et ejus formas, seu inter ejusdem rei varias formas independentem ab operatione mentis diversas.

Quæres 4. *Quotuplex est distinctio rationis?*

*Resp.* Duplex. Nempe *rationis ratiocinatae*, quæ fit per mentem cum aliquo in re fundamento. Et *rationis ratiocinantis*, quæ fit per mentem, sine ullo in re fundamento: v. g. si quis Petrum a Cepha distinguat.

Quæres 5. *Utrum distinctio quæ reperitur inter attributa Dei absoluta, ac inter attributa tum absoluta, tum relativa, et essentiam, sit realis, vel formalis ex natura rei?*

*Resp.* 1. Non est *realis*, prout definitum est in Concilio Lateran. IV. contra Abbatem Joachim, et in Concilio Rhemensi contra Gilbertum Porretanum, his verbis: *Credimus nullas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, sive unitates dicantur, vel alia hujusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, et non sint Deus.* Ratio est, quia de se invicem prædicantur in abstracto, nam *Deus hoc est, quod æternitatem habet, et ipse est æternitas*, ait Div. Greg. lib



10. moral. c. 20. *Non est ergo in eo aliud esse, et aliud habere.* Ergo non distinguuntur realiter.

*Resp. 2.* Non est *formalis ex natura rei.* Nam. 1. in Concil. Florent. definitum est, omnia in divinis esse unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio: atqui inter attributa absoluta ad invicem comparata, et inter attributa, tum absoluta, tum relativa, ad essentiam divinam comparata, nulla obviat relationis oppositio; ergo sunt unum et idem; ergo inter ea nulla est distinctio actualis ante mentis operationem. . . . 2. Quia juxta Scoti sententiam esset in Deo vera realis formalis compositio, nam compositio est distinctorum unio; atqui juxta Scoti sententiam, est in Deo unio distinctorum distinctione reali formali; ergo erit compositio realis formalis; atqui talis compositio repugnat summae De simplicitati; ergo, &c.

*Objicies:* Attributa divina sunt multa independentem ab intellectu; ergo distinguuntur actu formaliter a parte rei.

*Resp. Dist. ant.* Sunt multa, virtualiter, *conc.* actualiter et entitative, *nego ant.* attributa itaque nihil aliud sunt, quam ipsa essentia divina; quae, licet a parte rei simplicissima, multis realiter distinctis aequivalet in ordine ad diversos effectus praestandos, et diversos conceptus terminandos; ergo non distinguuntur actu ante mentis operationem.

*Inst. 1.* Justitia actu et a parte rei, non est misericordia; alioquin vera esset haec prop. *justitia est misericordia.* Atqui falsum consequens. Ergo &c.

*Resp. Dist.* Haec prop. esset vera in sensu reali et identico, *conc.* in sensu virtuali, formali et praecisivo, *nego.* Equidem eadem virtus, repraesentata inadaequate ut est principium punitionum, non est formaliter eadem entitas repraesentata inadaequate ut est principium miserationum; verum sic sumuntur prout substantiant diversis conceptibus, propter multipliciter virtutalem in Deo.

*Inst. 2.* Essentia et attributa diversas habent definitiones; ergo et diversas naturas; definitio enim est oratio explicans naturam rei.

*Resp. Dist. ant.* Habent diversas definitiones inadaequatas, *conc.* adaequatas, *nego ant.* definitio *adaequata* exponit rem ut est in se, *inadaequata* explicat rem, prout secundum diversos respectus objicitur menti. Cum ergo natura divina, quae infinita est, plures habeat respectus, mirum non est, quod per varias definitiones inadaequatas explicetur.

*Inst. 3.* De essentia divina et illius attributis praedicantur contradictoria: nam essentia divina communicatur, personalitas non communicatur: ergo distinguuntur formaliter ex natura rei.

*Resp. Transeat ant. nego conseq.* Quia ad verificanda praedicata contradictoria, sufficit distinctio virtualis. . . . Dixi *Transeat ant.* quia licet communicari, et non communicari sub eodem respectu, sint contradictoria, non sunt tamen contradictoria, si sic praedicantur de eodem sub diverso respectu: porro *communicari* dicitur de natura in se et absolute sumpta. *Non communicari* vero dicitur de eadem natura, prout est modificata per personalitatem; ergo sub diverso respectu communicatur, et non communicatur; ad quod sufficit distinctio virtualis.

Quaeres 6. *Quomodo ergo attributa absoluta inter se, et attributa tum absoluta, tum relativa ab essentia distinguuntur?*

*Resp.* Distinguuntur distinctione rationis ratiocinatae. Nam distinguuntur per mentem cum fundamento in re, cum sint virtualiter multiplicia, aequivalent enim diversis perfectionibus, quae actu in creatis distinguuntur.

*Objicies 1.* Deus est ens simplicissimum; ergo amovet a se omnem distinctionem.

*Resp. Dist. conseq.* Amovet omnem distinctionem a parte rei, et in se, *conc.* formalem in mente, *nego.* Haec



enim nihil ponit in re; ergo non officit simplicitati rei.

*Inst. 1.* Compositio etiam rationis, officit summae Dei simplicitati; atqui distinctio rationis, importat compositionem rationis in Deo: nam posita tali distinctione, erit in Deo distinctorum unio, quod importat compositionem.

*Resp. Dist.* Unio distinctorum sese invicem excludentium importat compositionem, *conc.* distinctorum sese invicem includentium, *nego.* Porro attributa et essentia in Deo sese invicem includunt. Quamvis enim mens attributa sine essentia concipiat, eam tamen non excludit ab eis, sed ab ea tantummodo abstrahit per diversos conceptus inadaequatos, rem attingendo sub diversis notionibus. Qui conceptus non sunt falsi, tum quia *abstrahentium non est mendacium*: tum quia sunt conformes objecto suo inadaequato.

*Objicies 2.* Inter attributa et essentiam divinam, sola debet admitti distinctio rationis ratiocinantis: quia nullum est fundamentum reale illa distinguendi mentaliter.

*Resp. Nego ant. et ejus prob.* Nam illud fundamentum, est summa et infinita Dei perfectio, quam mens propter sui tenuitatem, uno conceptu exhaurire non potest.

*Quaeres 7.* *Quomodo attributa essentiam, et essentia attributa sese in suo conceptu essentiali includant?*

*Resp.* Sese includunt in sensu identico, quia nulla distinctione reali distinguuntur, suntque una simplicissima entitas. Sed non se includunt in sensu formali, saltem explicite, quia attributa non sunt de conceptu formali abstractivo essentiae, nec vice versa.

*Quaeres 8.* *Quomodo essentia de attributis, et attributa de se invicem ac de essentia praedicentur?*

*Resp. 1.* Attributa et essentia divina in concreto, de se invicem praedicantur: sic dicitur: *Deus est justus: justus est Deus, misericors est justus.* Ratio est, quia habent unum commune subjectum, aut quasi subjectum.

*Resp. 2.* Concreta de abstractis, abstracta de concretis, et abstracta de abstractis, de se invicem praedicantur in sensu reali: sic recte dicitur: *Deus est justitia; deitas est justitia; justitia est misericordia.* Ratio est, quia sunt unum et idem in omni sensu reali actuali, ut pra probatum est.

*Resp. 3.* In Deo abstracta de abstractis non possunt de se invicem praedicari in sensu formali per mentem, sic non potest dici: *Justitia est misericordia*: quia abstracta secundum sensum formalem considerata, sunt distincta; ergo diversos habent conceptus.

## DISSERTATIO IV.

### De Attributis divinis speciatim.

#### CAPUT I.

##### De simplicitate Dei.

*Quaeres 1.* *Quid sit simplicitas Dei?*

*Resp.* Est negatio compositionis.

*Quaeres 2.* *Quotuplex est compositio?*

*Resp.* Duplex. *Realis*, quae est partium realiter distinctarum unio: (si partes sint physicae, compositio dicitur *physica*; si metaphysicae, dicitur *metaphysica*) et *compositio rationis*, quae est plurium partium sola ratione distinctarum unio: haec dicitur etiam *logica*.

*Quaeres 3.* *Utrum compositio physica habeat locum in Deo?*

*Resp. Negat.* Nam omnis compositio physica, fit ex materia et forma, vel ex subjecto et accidente; atqui, 1; Deus non constat ex materia et forma, cum sit substantia mere spiritualis: *Spiritus est Deus*, inquit Christus Joan. 4. et *eos qui adorant eum, in spiritu*